

P V I S

1 6 1 8



- I. Caroli de Casu Mirabili ad Academias.
- II. Simonis Stenii Dialogi duo Græcè conscripti.
- III. Oræor dua: una de Consensu Theologiae Lutheri cum Acta Epicuri, Hungeri Pontifici: altera Schilteri prioris Apologiam continens.
- IV. Petri treser de Peccato Originali.
- V. Samuelis Porisii de Invidia.
- VI. Orationes Septem à Johanne Pessingero et Henrico Salmutho in commendatæ Rectorum Lipsiensium habita.
- VII. Oratio Funeris de Augusto Saxonia Electore, Furmani.
- VIII. Oratio de Vita Christiana.
- IX. Oratio Chrysostomi de Exortio Viri Latine recitata.
- X. Davidis Viti de Justitia et Bonis Operibus.
- XI. Oratio Auleantia, qua ad Dna. Fuchium Societatis Studiosos.
- XII. Johanni treser de Pelagianismo.
- XIII. Caschi oratio in actu Magistrum habita.
- XIV. Hutteri Laudatio Funeris Christiani II. Electri Saxoniae.
- XV. Episcopi Synopser Mulsana de Comœdia Hispanica.
- XVI. Viti Vituperatio et Laudatio Actus.
- XVII. Indiciu obitu Conjugis D. Tassenbayeri.
- XVIII. Oratio M. Henrichi Porti in Actu Magistrum.
- XIX. De Studiis Tevitarum Abstrusioribus.
- XX. Gedici De Sensu Sexus Mulieris.
- XXI. Hoffneri Oratio Funeris Lysero dicta.
- XXII. Chytræ de Picta Avimi Translittata.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS,

NJ 34

DE PHILOSOPHICA ANIMI
TRANQVILLITATE, SEV

IN

HORATII ODAM
LIBRI SECVNDI

XVI,

Prælectiones aliquot

NATHANIS CHYTRAEI,
habita in Academia Rostochiensis.



ROSTOCHII

Typis Stephani Myliandri.
cl. l. XCII.

28.

22

28.1

Ch. 3329.

x.

2

HORATIUS

LIBRI SECUNDI

XVI

Textiores aliquid

IN PARS CHITRAE

...

ROSCII

...

...



NOBILI MAGNIFICO ET
ERVDITO.

D. OLIGERO. G. F. ROSEN-
CRANZ, Domino hereditario in
Rosenholm, &c. amico suo cariss.

S. D.

NATHAN CHYTRAEVS.

Cum monstranda patet, non distribuenda, popello
Vis thesauri ingens gemmis ostroq; nitentis;
Certatim accurrunt omnes, nemo ultimus esse
Sustinet, intuitu ut tantum pascantur inani.
At animi gazas si quis, ditesq; fauissas
(Quis grauis & foeta est veterum diuina pöesis)
Erudere, atq; alijs quoq; distribuisse laboret;
Accelerat nemo: accedit vix vnus & alter
Incessu segni, nec mente instructus & armis,
Quæ tam dia sibi bona distribuenda requirunt:
Coniurasse pates in regnum barbarici
Instaurandum iterum, doctrinarumq; bonarum,
Euepies, Sophiæq; alma, Charitumq; ruinam.
Hinc opus hoc, quod iam pridem feruere solebat,
Friget, ubi auditor doctorem deserit, ultro,
Hospitis in morem Calabri, sua dona volentem
Inuitis etiam conatu obtrudere inani.

A 2

Burenio


4
Burenio quod nostro etiam, Cameraria deq;
Sturmiadeq; seni, & compluribus accidit olim
Barbaria instinctu, ventosiq; arte Cleonis.
In quorum numerum cum me quoq; canescentem
(Quem quondam imberbem barbati audire solebant)
Fruitum iam detruat non segniter etas.
Degenerans, & præter opes, & præter honores
Nil aliud, sed & hæc, non recto tramite quærens.
Quid faciam? num segnitiam placare labore
Neglecto incipiam, prolectis turpiter armis:
Militia istius nostræ? haud reor esse per omnia
Hoc mihi consultum, cui satq; superq; futurum est
Si facere officium studeat mens conscia recti:
Secura interea quis fructus quemq; sequatur,
Cogere quem nequeas. Sed ne quis me penes omnem
Esse putet culpam, quod segnius audiar, accer
Quam iuuenis, senior plenis iam infirmior annis:
Hinc ego non verbis, sed re, bene conscius, ipsa
His responsa fero in lucem quas edo pagellis,
Quarum ex ungue queas neglectum agnosce leonem:
Sive leoninum malis n. e. dicere pulv. m.
Te verò imprimis hic compellare libebat
Oligere, ô patre egregio dignissima proles,

Inge-

Ingenijq; bonis clarissime, corporeisq;
Dotibus; atq; illis etiam, fortuna putatur
Quae largiri alijs. Domini benedictio tantum
Cum ditet, mentem adiiciens, artemq; fruendi
Quaesitis cum laude bonis. te audaciter inquam
Alloquor hic, Specimenq; tibi commendo laboris,
Quo lyricas Flacci explicui quandoq; camenas
In cathedra Rhodij, florens aetate, Lycei.
Talia quae, nisi decipior, credo esse, pudere
Quorum me minimè deceat, nec forte inuentam
Tedere ingenuam, & verae virtutis amantem:
Spernantur licet à multis haec turpiter ipsa.
Ingenio Genioq; suo quos sponte relinquo:
Commendoq; tibi Venusini scripta Poëta:
Scotigenaeq; simul Flacci nablunq; lyramq;
Effigiem cuius nuper mihi Danicus Atlas
Cum dederit Tycho; eiusdem te mente benigna
Participem facio: munuscula digna profectò
Quae tu, quaeq; tui similes videantq; legantq;
Multoties. quod non certa sine fruge futurum
En promitto tibi tanti patris optime fili
Quem tibi, teq; illi multos conseruet in annos
Cura paterna Dei, ô rosea spes magna corona.

A 3

Hoc



Hoc spectandus erat Christianus Horatius ore.
 Ingenium in melicis historiaq; vide.

N. Chytræus.

HORATII
LIBRI SECUNDI

Ode XVI.

Ocium diuos rogat in patenti
Prensus Ægeò, simul atra nubes
Condidit Lunam, neq; certa fulgent
Sidera nautis.

Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphæ non gemmis, neq; purpura ve-
nale, nec auro.

Non enim gaze, neq; consularis
Submouet licitor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Viuitur paruo beno, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum:
Nec leues somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.

Quid breui fortes iaculamur æuo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patria quis exul
Se quoq; fugit?

Scandit

8
Scandit aratas vitiosa naues
Cura: nec turmas equitum relinquit,
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Letus in praesens animus, quod ultra est
Oderit curare: & amara leto
Temperet risu. nihil est ab omni
Parte beatum.


Abstulit clarum cita mors Achillem:
Longa Tithonum minuit senectus:
Et mihi forsitan, tibi quod negarit,
Porriget hora.

Te greges centum, Siculaeque circum
Mugiunt vaccae: tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa: te bis Afro
Murice tincta

Vestiunt lane. mihi parua rura, &
Spiritus Graiae tenuem camene,
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.



EXPLANATIO.

 *Ἰδαλίην* est hæc Oda, & in medio dicendi genere versatur, qua Poëta potissimum docere voluit Pompeium Grosphum amicum suum quibus in rebus consisteret hominis *ἰδυμία* seu animi tranquillitas, cuius quidem nautas, mercatores, milites, omnium denique ordinum & nationum homines percupidos esse indicat: sed tamen veros eam consequendos non æquè rectè intelligere. Videmus equidem hoc hominibus innatum esse, ut ferè consilia & actiones suas ad certum aliquem referant finem, in quo se *ἰδυμίας* & felicitatem illam inuenturos arbitrantur. Hic finis alij est Voluptas, nunquam solida & sincera, & efficiens ut homo vel bestijs ipsis euadat deterior. Alijs Virtus, ipsa quoque imperfecta, & sæpe, si ex euentu spectetur, infelix. Alijs Scientia aut Prudentia humana, quarum utraq; nunquam sibi ipsi satisfacit: quando animum magis defatigat & exeruciat, quam satiat. Huc referri possunt, quas hic quoque Horatius attingit, diversæ viuendi conditiones, siue eæ sint priuatarum siue illustrium personarum. In quarum nulla, tranquilla & felix illa animi sua sorte contenti inuenitur satietas. Quod ipsum Poëta pro suo captu declaraturus, primo *ἀναγκαστικῶς* ea enumerat, quibus (licet contrarium opinetur vulgus) non comparetur illa animi tranquillitas: quæ sunt, gemmæ, purpura, opes, thesauri, honores, splendida ædificia, munitiones, comitatus licitorum, satellitum, turmarum equestrium. His enim cupiditatem amplificandi, & metum amittendi diuitias & honores, non depelli ait, sed magis in animis hominum augeri. Sicuti etiam peregrinationibus & nauigationibus longinquis, animus hominis multi-

B uolus

uolus exui aut mutari non queat. His positis, explicat quibus modis *εὐθυμία* comparetur, nimirum 1. Vita secundum naturam paucis, & quidem bonis, si ita fieri queat, paternis contenta: verum ea tamen non sordida, sed mundicie studiosa.

2. Moderatione nimie bonorum cupiditatis; & malorum imminentium timoris: boni consulente presentiarum & futura Deo permittente: brevisque huius vite brevia quoque incommoda æquo animo perferente.

3. Meditatione assidua neminem in hac vita unquam fuisse, esse, aut futurum esse *παρόλβιον*, aut etiam *παιάθλιον*. Sed Dei munera & arumnas diuersimode inter homines, huic parcius, alteri uberius, distributas esse. Id quod exemplis Achillis & Tithoni comprobatur. Breuique adeo suæ *αὐταρκείας*, ingenij, eruditionis, καὶ ἀφιλοπρέχειας, cum Grosphi diuitijs, splendore & magnificentia comparatione subiecta, magis se *εὐθυμίας* illius compotem esse, quam Grosphum, argute & non obscure innuit. Pertinet huc illud Valer. Max. lib. 4. c. 4. Quorsum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miseriarum statu ponere? cum & illarum frons hilares, multa intus amaritudinibus sit referta; & huius horridior aspectus solidis & certis bonis abundet.

Ocium) Vox hæc hoc in loco non tam *χαλῆνην* seu serenitatem & portum optatum; quam quietem, & à navigationibus immunitatem, cum bene & commodè viuendi conditione coniunctam indicat. Sicuti & mox, hoc ipsum ocium indicans, dicit, *Viuitur paruo bene*. Id quod alibi quoque sub voce ocij intelligit, vt Satyra libri primi, prima: *Ille grauem duro terram qui vertit aratro.*

*Perfidus hic caupo, miles, nautæq; per omne
Audaces mare qui currunt: hac mente laborem*

scfa



*Sese ferre, senes ut in ocia tuta recedant,
 Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria &c.*

Ita Oda 1. lib. 1. *Luctantem Icaris fluctibus Africum Mercator
 metuens, otium & oppidi Laudat rura sui.* Nautæ igitur
 & mercatores tempestatibus maris iactati optant ocium.
 Viri militares quoque in præliis optant ocium, seu *χολήν*
ἢ εἰρήνην, & à bellis vacationem. Nam ut scribit Aristote-
 les 7. polit. *πᾶσι πλεονεξία εἰρήνη* est.

Diuos) Seruius, Deos, inquit, æternos dicimus. Diuos vero qui ex
 hominibus fiunt.

In patenti) forte ad discrimen Propontidis, Helle-
 ponti, marisque ad eò Icaris & Myrtois quorum illa alias
 angustiora sunt; hæc verò propter Cycladas quoque minus
 patula videntur.

Prensus) quasi ex insidijs deprehensus. Syncope.

Ægæo) scilicet mari. Ita Virg. *Carpathium Libycumque
 secant.* Aen. 5. Est autem mare Ægæum vulgo Archi-
 pelagus, pars maris mediterranei, Europam ab Asia di-
 uidens, inter Græciam, Macedoniam, Asiam minorem,
 Hellespontum & mare Icarium ac Myrtoum fluctuans,
 teste Plinio lib. 4. cap. 11. Sic dictum, à specie capræ.
 Ægæus enim, inquit, mari nomen dedit scopulus inter
 Tenedum & Chium verius quam insula *αἴξ* nomine, à
 specie capræ, quæ à Græcis ita appellatur, repente in me-
 dio mari exsiliens.

Atra nubes) similem, sed vberiore aëris constitu-
 tionem describit Virg. his versibus.

*Eripiunt subito nubes cælumque diemque
 Trucorum ex oculis. ponto nox incubat atra.*

Condidit lunam) Indicat nauigationem noctur-
 nam, sicuti & in sequentibus.

TEMPLUM MARTIS

72

Certa sidera) minimè fallentia, quibus tutò confide-
re, & ad quæ cursum rectè moderari possint. qualia sunt
Polus, & Virgæ versus Septentrionem. Nam stellæ à po-
lo remotiores, propter motus assiduitatem magis conspi-
cuam, nunc alia atq; alia cœli spatia occupant: atq; ideo ob-
servationibus nautarum minus accommodatæ sunt. Quod
in stellis illis Polo vicinis, propter motum tardiozem, mi-
nus est conspicuum: minus etiam errori nautarum obno-
xium. Hinc Lucanus. *Miseros fallentia nautas sidera non sequi-
mur, sed quæ non mergitur undis Arcton. &c.*

Bello furiosa) ἀγριότης. Virgilio Mauortia. Certè
Martis in Thracia templum constituit & describit Statius
Papinius 7. Thebaidos, his versibus.

*Hic steriles delubra notat Mauortia sylvas,
Horrescitq; tuens, ubi mille furoribus illi
Cingitur aduerso domus immanis ueta sub Æmo.
Ferreæ compago laterum: ferro arctæ teruntur
Limina: ferratis incumbunt tectæ columnis.
Læditur aduersum Phœbi iubar, ipsaq; sedem
Lux timet, & dirus contristat sidera fulgor.
Digna loco statio, primus salit Impetus amens:
E foribus: cœcumq; Nefas, Iraq; rubentes,
Exanguesq; Metus, occultisq; ensibus astant
Insidia, geminumq; tenens Discordia ferrum.
Innumeris strepit aula minis, tristissima Virtus
Stat medio, latusq; Furor, vultuq; cruento*

Mors

THRACE

13.
*Mors armata sedet: bellorum solus in aris
 Sanguis, & incensis qui raptus ab urbibus ignis,
 Terrarum exuviae circum, & fastigia templi
 Capta insignibant gentes, celataq; ferro
 Fragmina portarum, bellatricesq; carina,
 Et vacui curvus, protritaq; curribus ora.
 Ponè etiam Gemitus: adeò Vis omnis, & omne
 Vulnus ubiq; ipsum. sed non usquam ore remisso
 Cernere erat. talem divina Mulciber arte
 Ediderat, nondum radijs monstratus adulter
 Foeda catenato luerat connubia lecto. Hæc Statius.*

Thrace) Thrax, Thracia, Thrace, vocabulum more
 poëtico contractum, sicuti idem alicubi producitur. Virg:
 Threiciamq; Samum &c. Lucan. Threiciasq; legit fauces. Ita etiam
 Ouid. Armiferam Thracen qui regat alter erit.
 Græcis θρήκη. inter montem Æmum, pontum Euxinum,
 Propontidem, mare Ægæum, & fines Macedoniae, cuius
 primaria urbs est olim Byzantium, hodie Constantinopo-
 lis, & regio ipsa Romania. Hesiod. ὅσε δὲ θρήκης πωλοτέ-
 φου. Equos autem Thracios præ alijs nobiles fuisse, patet
 etiam ex illo Virg. de equo Turni.

Maculis quem Thracium albis Portat equus.

Medi) populi in Asia maiori, dicti à Madaio filio Iaphe-
 ti, nepote Noachi. Gen. x. Regio eorum ab ortu habet
 Parthiam, ab occasu Armeniam, à Meridie Persidem, à
 Septentrione mare Hyrcanum. Eius metropolis fuit
 Ecbatana.

B 3

Grosphet:

PURPURA

74
 Grospho) Cuius nomen integrum fuit Pompeius Grosphus, homo diues, cuius etiam videtur mentionem facere Epist. 12. lib. 1. vbi Iccio suadet vt Grosphum in suis habeat. his verbis

*Vtere Pompeio Grospho, et si quid petet vltro
 Defer; nil Grosphus nisi verum orabit & equum.*

Neq; purpura) *ωρεφύρα* piscis è turbinatorum genere est, de quo inter alia Plin. lib. 9. c. 36. vbi purpura, inquit, florem illam tingendis expetitum vestibus, in medijs habent faucibus. Reliquum corpus sterile. Viuas capere contendunt. quia cum vita succum eum euomunt. Qui plura desiderat legat Arist. hist. anim. lib. 5. cap. 15. Hic accipitur pro panno, aut veste coloris purpurei, qua olim reges & magistratus utebantur. Quid primo Fastor.

*Iamq; noui præeunt fasces, noua purpura fulget.
 Et Virg. Non illum populi fasces, non purpura regum.*

Vestis quoq; puerorum ingenuorum Romæ erat *πυργα*, seu limbo purpureo prætexta, antequam sumerent togam puram, seu virilem *ἀνδρῶνα*.

Non enim Gazæ) Iuuenal. Misera est magni custodia census. Tibul. l. 3. El. 3.

*Nam graue quid prodest pondus mihi diuitis auribus
 Aruaq; si findant pingua mille boues.*

Et Salomo Eccles. V. Qui diligit argentum non satiatur eo, & qui amat multitudinem, est sine fructu. De voce Gaza sic Quintus Curtius libro tertio. Ante solis ortum petuniam regiam, quam Gazam Persæ vocant, cum preciosissimis rerum efferi iubet. Nec non Mela & quidem Lucidius libro primo in descriptione Syriæ. Ceterum in Palestina est ingens & munita admodum ciuitas Gaza
 Sic

SUMMOVERE

(sic Perse *erarium vocant*) & inde nomen est, quod, cum Aegyptum Cambyses armis peteret, huc belli & opes, & pecuniam intulerat. Vnde adhuc thesauros magnos & regios, gazas dicimus. Germanicè ein Schatz/ voce Persicæ illi non dissimili.

Summouet) summouere proprium est licitoris turbam reprimentis, vt via venienti magistratui pateat. vt apud Liuium est, licitor, summoue turbam: & da viam domino. Quo etiam sensu hoc loco verbum illud vsurpatur, q. d. Etiam si *παβδoux* aut licitor magistratum aut dynastam aliquem præcedens, turbam de via cedere cogat: tamen ab animo domini non potest dimouere aut arcere, multo minus expellere, curas, metus, angores, malam conscientiam, cupiditates & alias animi pestes. Vtitur eodem verbo Ouid, 12. Metamorph.

Summouet obstantes, raptamq; furentibus aufert.

sicut & Virg. *Quibus actus uterq;*

Europa atq; Asiae fatis concurrerit orbis,

Audiit & si quem tellus extrema refuso

Summouet Oceano. Et noster Od. x. huius libri

dixit *Informes hyemes reducit Iuppiter, idem Summouet.* Me-

minit huius loci Adrianus Turnebus. Aduer. lib. 25.

cap. 10. his verbis. Licitores olim ante magistratus ince-

debant, non tantum honoris gratia; sed ad turbam etiam

plebis summouendâ, nec tamen vt multitudinem summo-

uere poterant, ita & arcere ac depellere poterât animi curas

& molestias. Igitur ad illud licitoris officium credo Horat.

respexisse, cum scripsit. *neq; consularis*

Summouet licitor miseros tumultus

Mentis &c.

Quo significat honoribus homines non esse beatiore, cum

felicitas animi tranquillitate censeatur, quam præstare

75



LICTOR

non potest licitor. nam ut summouere possit hominum turbam, non tamen poterit vitiorum & perturbationum tumultum arcere. Huc pertinent illa Senecæ verba lib. 5. controuersi. *Maiestatem lesam dixissem, si exeunti tibi licitor à conspectu meretricem non summouisset.* Iterum. *Summoue, audis licitor, summoue à prætore meretricem.* Sed Horatianum illud minus est reconditum: Sensus ille Plinij magis latet, cum scribit lib. 9. cap. 85. *Cupiuntq; iam & pauperes, licitorem fœminæ in publico unionem esse distantes.* Eodem tamen modo exponendum arbitror, Pauperes fœminas unionibus gaudere, quod in publico, cum sunt, ipsis de via decedatur, videanturq; diuites: ut margarita sit pro licitore fœminis, turbamq; summoueat. Hæc Turneb.

Lictor) à ligando. Lictorum enim erat non solum fasces & secures magistratibus præferre: verum etiam sonites ligare & punire. Vocat autem lictorem Consularem ad discrimen lictoris Prætorij. Nam sicut duodecim fasces & secures consulibus in urbe; ita sex prætoribus etiam in provincijs præferebantur. vnde Polybio Prætor est *ἐξαπίλεκτος*.

Miseros tumultus Quid sit tumultus, patet ex 8. Philippica Ciceronis. *ubi potest inquit esse bellum sine tumultu; tumultus esse sine bello non potest. Quid enim est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur. unde etiam nomen ductum est tumultus.* Itaq; maiores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus; tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant. Grauius autem tumultum esse quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent. Hæc ibi Cicero. Hanc vocem poëta eleganter transfert ad perturbationes & affectus animi non rectè constituti. Ex vita Epicuri lib. x. Diog. Laertij patet, eandem eius Philosophi

philosophi

TUMULTVS

17
 Iosóphi sententiam fuisse. Hæc enim ibi, cum his Hora-
 tianis ferè congruentia, leguntur. Non enim conuiuia & co-
 messationes, non amores, non usus piscium & ceterorum quæ affert preci-
 sior mensa suauem gignit vitam, verum ratio sobria, causasq; perscru-
 tans, cur quæq; vel eligenda vel fugienda sint: opinionesq; expellens, per
 quas animos ut plurimum occupat tumultus. Pindarus quoq; O-
 lymp. 2. dixit. αἰ δὲ φρενῶν ἀρεχχαὶ παρέπλεξαν καὶ τὸν σοφόν.
 Arist. quoq; in Rhetor. 2. de affectibus agens, ἀρεχχὴν po-
 nit: qui etiam Oratores affectus mouentes vocauit θορυ-
 βούργας. Verum haud scio an quis illum animi tumultum
 verbis descripserit elegantioribus, quam Sadoletus, in li-
 bello de liberis instituendis, vbi inter alia. *Duas in*
homine, inquit, esse animi partes, dissimiles natura
inter se, & ferme repugnantes, vnã Rationis, alte-
ram cupiditatis. Harum partium Ratio perspicax
ex sese est, et luminis particeps, mentisq; habet oculum
cernentem clarissimè atq; acutissimè omnia. Ceca
& luminis penitus expers est Cupiditas. Porrò ha-
rum partium utriq; consiliarij sui adsunt bini: in
suadendo vnus, in dissuadendo alter. Rationi qui-
dem ipsi atq; Menti, Honestum & Turpe. Cupi-
ditati, Lucundum et Molestum. Hi cuncti numero
sex, cum contubernales sint; & in vnis commorentur
ædibus; si non consentiant & congruant inter se, sed
sint turbulenti atq; discordes; quas tu ibi rixas atq;
pugnas, quos perturbationum motus, quantos fluctus
seditionum inesse putas. Cum aut tanquam turpe

C

re-

LAQUEATA

repellit Ratio, quod sibi iucundum Cupiditas adsciscit: aut Cupiditati molestum est, quod Ratio iudicat honestum. Clamores intus assidui scilicet, tumultus, praelia. Quæ est igitur vera ratio bene viuendi? hæc nimirum, ut sese exaequet Cupiditas, & componat Rationi, suumque iucundum cum illius honesto: & cum turpi molestum coagmentet & construat: quod assuescendo maxime & agendo commodè fit. Hæc ibi pulcherrimè, ut omnia, Sadoletus.

Curas laqueata circum) Quocirca Seneca in Hercule Oeteo.

Cespes Tyrio mollior ostro
 Solet impavidos ducere somnos.
 Aurea rumpunt tecta quietem.
 Vigilesque trahit purpura noctes.
 O si pateant pecciora ditum,
 Quantos intus sublimis agit
 Fortuna metus! Brutia Cauro
 Pulsante fretum mitior unda est.

Cum quo conuenit sententia Artabani in in 7 Herodoti asserentis, in hac vita neminem vnquam mali omnis expertem fuisse aut futurum esse. τοῖσι δὲ μεγίστοις μέγιστα. &c. Meminit Valer. Max. lib. 7. c. 2. Regis cuiusdam, qui, cum illi oblatum esset diadema, restitit paulisper, priusquam id capiti imponeret. & tandem meditabundus in hæc verba prorupit. O nobi-

TECTA

nobilem magis quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, periculis & miserijs sit refertus, ne humili quidem iacentem tollere vellet.

Quod & Philemon non ignorauit, cum in hanc sententiam quendam loquentem induxit; *Ante arbitrabar, Sotia vitam pauperum tantummodo scaterere molestijs, diuites autem hilariter iucundeque uiuere. Sed vitam eorum video differre à vita pauperum solis sumptibus, qui singulis diebus fiunt.* *λύπαις δ' ἔχοντες μείζονας τὰς μείζονας.* hoc est. & Maiores maiori premi molestia &c. Eodem pertinent hæc Varronis.

*Non fit thesauris, non auro pectus solutum:
Non animis demunt curas ac relligiones
Persarum montes, non diuitis atria Crassi.*

Quem respexisse videri possit Horatius cum alibi cecinit.

*Non domus & fundus, non aris aceruus & auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,*

Non animo curas. Cui & Tibullus succinit.

Non opibus mentes homini curaque leuantur.

Ex quibus omnibus euidenter liquet; Quo maiores hominum opes & honores sint; eo maiores etiam eorundem curas & molestias esse. ideoque otium seu *εὐθυμία* illam in opibus frustra quæri.

Laqueata tecta) Laquear vel Lacunar est tignum concamerationis, seu in conclauis aut palatio aliquo pars superior, opposita pavimento, quod pedibus teritur. Iam sicuti apud Ciceronem est porticus pavementata, à verbo pauire; unde pavementare; ita hic est

PARVO VIVERE

20
 tectum laqueatum. Vtrumq; coniungit Cicero 2. de
 Legib. ubi Pavimenta, inquit, marmorea, & laqueata tecta contemno.
 Viuitur paruo bene) sc. ab eo, cui splendet &c.
 quasi dicat, Otium illud, seu *eubupia*, & bene ac commodè
 viuendi conditio, non in diuitiarum & thesaurorum acer-
 uis; sed potius in tenuitate cum munditie coniuncta, &
 sua sorte contenta consistit. cum contrarium insit magnis
 opibus, coniunctis cum luxuria, quam propterea Lucan.
 lib. 4. his verbis compellat. *O prodiga rerum*

Luxuries, nunquam paruo contenta paratu.

Et quæstorum terra pelagoq; ciborum

Ambitiosa fames, & laute gloria mensæ.

Discite quam paruo liceat producere vitam.

Quem locum Lucani eo libentius hic adduco, quod eius
 verba cum his quoq; Horatianis ferè congruant. Et qui-
 dem in fabulis hoc ipsum exemplo suo probat pumilio,
 qui cum crebris precibus staturam giganteam à Ioue im-
 petrallet; & iam maiorem domum & tectum, laxiores
 vestes, & plus alimenti sibi comparare cogeretur: tan-
 dem in hanc exclamationem erumpit.

Tua me Indulgentia perdit Iupiter, ipsa boni fallax me lusit imago.
Informem inuisamq; mihi pater exue molem.

Respicit hunc locum & Claudianus cum dicit:

Viuitur exiguo melius. natura beatiss

Omnibus esse dedit, si quis modo nouerit uti.

Lucanus quoq; lib. 3. in eandem sententiam exclamat.

O vita tuta facultas. Pauperis angustiq;

Laris! ô munera nunquam Intellecta Deum.

Salomo quoq; Ecc! 5. dixit.

Quum

PARVO VIVERE

27
 Quum multiplicantur bona, multiplicantur comedentes ipsa. Continentiæ huius exemplum insigne est Phocio Plutarchi, qui in sua tenuitate ipso Alexandro magno felicior prædicatur. Cum enim Alexander post Dariûm deuictum Phocioni centum Talenta (id est 60000. coronat. seu Talerorum 75000.) dono misisset; constanter ea accipere recusauit. Idem cum Phocioni ex quatuor Asiæ urbibus vnâ eligendi optionem dedisset; simulq; minatus esset, nisi vnâ delegisset, se grauissimè ipsi indignaturum: tamè ne hoc quidem modo firmissimi hominis continentiam potuit labefactare. Atq; ita (vt in vita Phocionis scribit Plutarchus) dubium tum etiam inter viros sapientes fuit, vter horum opulentior esset: num tanta munera vltro offerens Alexander; an sua egestate contentus Phocio. Qui quidem ipse Phocio teste Æmilio, cum patris quoq; Alexandri Philippi Macedonis munera ad se missa repudiaret; legatiq; hortarentur accipere; simulq; admonerent, si ipse his facile careret; liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset futurum in summa paupertate tantam paternam gloriam tueri. His Phocio, Si mei similes erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit. Sin dissimiles sunt futuri; nolo meis impensis illorum ali augeriq; luxuriam.

Paternum) Ita Od. 1. lib. 1. *Gaudentem patrios findere sarculo agros. Mart. res non parata labore sed relicta* Item. Epod. 2.

Paterna rura bobus excolit suis.

Paterna autem

bona iucundiora et tutiora sunt aliunde æquisitis, minusq; obnoxia inuidiæ.

Splendet salinum) splendet, inquit, ne quis putet illuuiem & sordes commendari, à quibus splendor hic salini alienus esset. Sub quo *συνεξδοχι κῶς* totius supellectilis munditiem innuit. Idem alibi. *Modo sit mihi mensa tripes & concha salis puri. hoc est non fordibus aut pulueribus*
 C 3 inquit

inquinati. Potest enim etiam in re tenui inesse mundici-
cies. de qua eleganter Od. 29. lib. 3.

*Plerumq; grata diuitibus vices,
Mundaq; paruo sub lare pauperum
Cæna, sine aulæis & ostro
Sollicitam explicuere frontem,*

Meminit huius loci Turneb. lib. 10. Aduers. cap. 22. his verbis: Necessè est de gratia poëtarum multum pe-
reat antiquitatis rudibus, cuius intelligentia & faciem præ-
fert eorum notitiæ, nec latere finit elegantiam, vt in illo
Horatiano lib. 2. Ode 16.

Splendet in mensa tenui salinum

sensus insulsus pænè videatur, nisi quis intelligat sa-
lis fuisse quandam in mensa religionem. vnde *ἱερός*
αἶλας Græci dicunt, & appositus sal mensam consecrare
videbatur: Vnde & Arnobius scripsit lib. 2. *sacras fa-
cite mensas salinorum appositu, & simulachris deorum.* Sed ta-
men potissimum tenuem & parcum, pauperemq; vi-
ctum Horatius significat, hominum pro obsonio talem
lingentium, quod pauperes olim faciebant, vt apud Per-
sium Satyra 5.

Varro regustatum digito terebrare salinum

Contentus perages.

Hæc Turnebus.

Exemplum quoq; huius mundiciei frugalis est
Pomponius Atticus, de quo Cornelius Nepos, Ele-
gans, inquit, non magnificus; splendidus, non sum-
ptuosus; omni diligentia mundiciem non affluentiam af-
fectabat.

Necl eues som-) Somnos eorum leues vocat, qui
citò & facilè ad quemuis sonum aut strepitum euigilant.
Con-

VITA BREVIS

Contra somnum grauem & profundum eorum diceret, qui non facile excitantur. qualis ille est in Somnio Scipionis à Cicerone descriptus. Ut cubitum, inquit, discessimus, me & fessum de via, & qui ad multam noctem vigilassem, arctior quam solebat somnus complexus est. Ad somnum leuem referri possunt illa Menandri, Existimabā diuites ô Phania, queis fœnerari non necesse est, carpere somnum quietum, haud clamitantes, heî mihi, versare se sursum & deorsum noctibus: contingere sed hoc pauperi tantummodo. Nunc video vos quoq̃ beatos nomine eadem solere facere, quæ nos pauperes soliti sumus.

Timor) bona præsentia amittendi.

Cupido sordidus) pro auaricia tenaci & sordida semper egente, nunquam contenta, semper plura appetente, atq̃ ideo noctes ducente insomnes. Vtrumq̃ affectum complectitur alibi Horatius.

*Qui cupit aut metuit, iuuat illum sic domus aut res,
Ut lippum picte tabule, fomenta podagram.*

Quid breui fortes) ἐφάμεροι, καὶ σκιάς ὄναρ, ut Pindarus ait. cum quo congruunt hæc verba Adraſti apud Euripidem in Supplic. ὦ παλαίπρωροι βροτοὶ

πὶ κτᾶσθε λόγχαις, καὶ κατ' ἀλλήλων φόνους

πίθεσθε; πίνουσθε. ἀλλὰ λήξαντες πόνων

ἄση φυλάσσεθ', ἤσυχτοι μεθ' ἡσύχων.

σμικρὸν πὶ χεῖμα τδ βίη. τδ τον δέ χεῖ

ὡς ῥᾶσα, καὶ μὴ σὺν πόνοις διεκπερᾶν.

Ad breuitatem vitæ quantum spectat insignis est locus Ciceronis in i. Tusculana. *Quæ vero ætas longa est? aut quid omnino homini longum? nonne modo pueros, modo adolescentes*

in cur-

IACVLARI

in cursu à tergo insequens, nec opinantes affecuta est senectus, &c. Et
 mox, Ad Hipanin fluium bestiola quedam nascuntur que unum diem vi-
 uunt. Ex his igitur hora octaua que mortua est, prouecta etate mortua est:
 que vero occidente sole, decrepita: eo magis, si etiam solstitiali die. con-
 fer nostram longissimam etatem cum eternitate, in eadem propemodum
 breuitate, qua illa bestiola, reperiemur. Sic Virg. Sed fugit interea,
 fugit irreparabile tempus. Et Iuuenl. Sat. 9.

festinat enim decurrere velox

Flosculus, angusta miseraq; breuiss. vita

Portio. dum bibimus, dum sarta, unguenta, puellas

Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

Iaculamur) tanquam ex longinquo ad scopum iacu-
 lis directis affectamus, vel appetimus. Eodem pane
 modo loquitur Eurip. Tragedia iam nominata. ὡ κενὸν
 βροτῶν οἱ τόξον ἐκτείνοντες ὡς κριβοῦ πέλα. Et apud Aristo-
 phanem est ἐκποξέυεσθαι τὸν βίον.

Videtur autem modus loquendi natus ex fabula Æsopi-
 ca, vbi auceps in turdum sagittam intendens, à vipera
 morsus impeditur. Eodem enim modo hominum co-
 natus & spes in longinquum extensas sæpè irritas efficit
 mors. Stultè igitur facit, qui in vita tam angustis finibus
 circumscripta, cupiditatibus & spe sua modum excedit:
 eaq; molitur & machinatur, quorum nunquam compos
 est futurus. Quocirca hominem ita affectum sic alibi,
 nimirum Od. II. lib. 2. compellat Horatius. Quid æter-
 nis minorem Consilijs animum fatigas? quasi cum Aristo-
 tele dicat πῆτ. β. θνατὸν γῆν ἢ θνατὸν, ὡν ἀθάνατα θνατὸν
 φρονεῖν.

Quid terras mutamus) quid terris patrijs relictis,
 proficiscimur in eas regiones, quæ calent alio sole. aut cur
 relictis

MUTATIO LOCI

relictis nostris, petimus terras peregrinas? aut, in genere
 cur subinde in alias atq; alias regiones, prioribus relictis,
 commigramus. Alibi dixit *Mutat quadrata rotundis.*

Alio sole) significantius hoc dixit in carmine seculari.

*Alme Sol, curru nitido diem qui Promis & celas, aliusq; & idem
 Nasceris. & Virg.*

Atq; alio patriam querit sub sole iacentem.

Sol enim, qui substantia vnus & idem est, ratione loci, re-
 gionis, cœli, temporum anni, item ortus & occasus diuer-
 sus videtur. Loci autem mutationem nihil ad animi æ-
 gritudinem subleuandam facere insigni simili declarauit
 Plutarchus *Ἐπι εὐθυπίας.* Sicuti, inquit, nauseantes in mari, ar-
 bitrantur se melius habituros, si ex vna nauis in aliam transferantur:
 sed nihil tamen proficiunt. Idem accidit in mutatione loci &c.

Eodem modo simile rem hanc illustrans petere possumus
 ab ægrotis nonnullis, qui nunc ex lecto in scamnum, nunc
 ex scamno in lectum, iam ex hoc in aliud cubiculum trans-
 ferri se postulant, conatu planè vano, irrito, & nihil leua-
 tionis morbo afferente.

Patriæ quis exul) respicit Græcum loquendi mo-
 dum, vbi nomen exulis seu *φυγάς* deducitur à *φύγω*,
 quasi diceret *ἔφυγας πατρίδα ἀπὸ αὐτῶν ἢ φύγαν:* aut Latine;
 Quis ex patria sua profugus seipsum quoq; fugit?

Se quoq; fugit) Idem dicit Epist. 14.

Cui placet alterius, sua nimirum est odio fors.

Stultus uterq; locum immeritum causatur iniquè.

In culpa est animus qui se non effugit vnquam.

q. d. vehementer errare eos, qui cura aut sollicitudine ali-
 qua oppressi, loci mutatione eis remedium quærant.

Quocunq; enim fugiant, seipsos fugere non possunt. vbi

D

cunq;

MUTATIO LOCI

cunq; terrarum sint, eodẽm animum suum, eiusq; affectus
& anxietates circumferent. Pertinent huc illa Propertij.

*Quo fugis ab demens. nulla est fuga. talicet usq;
Ad Tanaim fugias usq; sequetur amor.*

Et Horatius Epist. XI.

Cælum non animum mutant qui trans mare currunt.

Nec non hoc triuiale

Parisiis stolidum si quis transmittat asellum,

Qui fuit hic asinus, non ibi fiet equus.

Quod Æschines in Ctesiphonem Græcè dixit eleganti-
tius οὐδ' ὅσις ἐστὶν οἴκοι Φαῦλος, οὐδέ ποτ' ἦν ἐν μακεδονίᾳ καλὸς κ'
ἀγαθὸς. οὐ γὰρ τὸν πρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξε.

In quam sententiam etiam Brutus in quadam Epistola Ci-
ceroni scribit,

*Res, non locus oportet præstet
istuc mihi. Quo & illud nostri*

*Quadrigis petimus benè vivere. quod petis hic est,
Est Vlubris, animus si te non deficit equus.*

Et quidem ipse B. Chrysostomus (si tam graui& religio-
so teste in poëtæ gentilis, explicatione uti licet) explanans
illud Salomonis, iustus vt leo confidit. homil. 8. ad populum
Antiochenū, hoc ipso loquēdi modo delectatus videtur, cū
inter alia in hanc quoq; sententiam, *Talis est, inquit, peccan-
tium consuetudo: omnia suspecta habent: umbras tremunt: omnem strepi-
tum timent, & quandoq; putant contra se venire. Multos igitur conspici
sepe peccatores, ad aliud ministerium currentes, ad se venire cogitauerunt:
& alijs alia inter se differentibus, peccati sibiipsis conscijs, putant illos de se
loqui. Talis enim res peccatū est nullo prodit arguente: nullo condemnat ac-
cusante. pavidum facit & timidum peccatorem, sicut iustitia contrarium.*

Audi

CURAE SEQUACES

27
Audi igitur quomodo & huius pauorem, & illius libertatem, scriptura designavit: Fugit impius persequente nemine, inquit. Quem, quaso fugit nemine persequente? Imus habet agentem conscientiae accusatorem; & hunc ubiq; circumfert: & sicut seipsum non potest fugere, sic nec intrinsecus ipsū agitantes: sed quocunq; abeat, flagellatur: & vulnus habet immedicabile. At non talis iustus, sed qualis? audi: Iustus tanquam leo, inquit, confidit. Talis erat Helias: vidit is regem ad se venientem, & dicente illo: Tu ne es ille qui conturbas Israël? Non ego turbavi Israël, inquit, sed tu & domus patris tui &c. Nam ut alibi Horatius,

Hic murus aeneus esto,

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Scandit æratas:) Ita Cicero post obitum Tulliolæ suæ, de doloribus suis scribens Attico, lib. 12. Ep. 44. Nec hæc, inquit, quæ reficiant, hic me magis angunt. Etsi tamen ubicunq; sum, illa sunt mecum. Et Lucretius curas Sequaces nominavit lib. 2. quem hic Horatius videri possit imitatus.

Revera q; metus hominum, cura q; sequaces,

Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela.

Audacter q; inter reges, verum q; potentes,

versantur.

Ad eundem modum de Domino in mari ædificante, & ibidem habitaturo dicit Od. 1. lib. 3.

Sed timor & mine

Scandunt eodem quo Dominus: neq;

Decedit ærata triremi, &

Post equitem sedet atra cura.

Æratarum verò navium etiam mentionem facit Plinius lib. 32. c. 1. cum Heu vanitas, inquit, humana, cum nostra

CVRA VITIOSA

28
illa ære ferroq; ad ictus armata, semipedalis inhibere pos-
sit pisciculus. Loquitur autem de Echeneide. simile quid
habet infra Satyr. 7. lib. 2.

*Iam vino quæris, iam somno fallere curam,
Frustra, nam comes atra premit, sequiturq; fugacem.*

Vitiosa cura) prauæ cupiditates, libido, auaritia, am-
bitio, liuor, inuidia, metus, Zelotypia, maleuolentia.
Germanicè diceret ein böses antigen.

Nec turmas) Turma inter equites est, quod inter pe-
dites. Centuria, constans equitibus 32. ein geschwader Reus-
ter. Dicit ergo Poëta. Turmam equestrem neq; velo-
citate curam illam vitiosam anteuertere: neq; armis ean-
dem à se posse depellere.

Ocyor ceruis) similes hyperbolas habet Virg. x. Æn.

Ocyor & iaculo, & ventos æquante sagitta.

Item. Ventis & fulminis ocyor alis. Item in s. Noto citius, volu-
criq; sagitta. Sic apud Eurip. Iphig. Aulid. Achilles est
ἰοτινέμενος. Ad ceruum quantum spectat, tanta est eius
in cursu celeritas, vt poëta doctissimus, in emblematis su-
is, imaginem eum temporis esse voluerit, addito hoc insig-
ni Epigrammate.

Adde alas. aures, & caudam, & cornua ceruo

Tollito: depictum sic tibi tempus erit.

Tempore namq; nihil currit velocius vno.

Nec semel elapsum quo reuocetur habet.

Nimbos) Nimbos propriè est præceps imber παρδαί-

ῥέτος. Martiali Nimbos vitreus, est vas vitreum an-
gust

gusti oris, unde liquores & unguenta diffunduntur, quæ vitro illo continentur, sicuti aquæ pluriæ in nube. Et quidem hoc loco sub nimbis nubes significari videntur, quas violentia Euri, venatoris instar, in aëre persequens, iam huc iam illuc disijcit.

Euro) qui sic dictus est, quasi ἀπὸ τῆς ἑωρέων, hoc est, ab Oriente fluens. Græcè ἀπηνλιώτης, alias Subsolanus.

Lætus in præsens) εὐργων τὸ παρόντα. Quod Oda 8. lib. 3. dixit, Dona presentis cape lætus horæ, ac Mitte futura. ut verba Poëtæ paululum immutem. Ille enim cecinit, Linque seueræ.

Quod ultra est) quod scilicet nondum attigimus. sicut retro aut citra nos sunt quæ præteriere. Eurip. Rhés. μὴ νῦν τὰ πόρρω, τὰ γγυθεν μεθεῖς, σκόπει. Et alibi noster

*Quid cras futurum sit fuge quærere. Item
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus,
Ridetq; si mortalis ultra
Fas trepidat.*

Nam, ut Anaxarchus Alexandro dicebat, de prædictis Magorum, ea si fati constarent; mortalibus ignota esse: ac si naturæ debeantur; esse immutabilia. Ideoq; omnem de futuris irritam esse sollicitudinem. Nec non ut Phalaris Aristæneto scribit, τὸ εἰμαρμένον ἤξει, καὶ ἀεισάνε-
ται μᾶλλον ἢ δὲ φοβηθῆ. πῶς δὲ κρείττον ἐστὶ, μὴ
δεδοικότε παθεῖν τὸ μέλλον δεινόν, ἢ δεδοικότε.

D 3

Oderit

Oderit curare.) firma quadam animi inductione & proæresi hoc agat, & ad hoc se assuefaciat, ut præsentia boni consulat, futura Deo permittat, sicuti hoc veteri quoque rythmo docetur. *Tu præsens cura: Domino committe futura.* quorum scilicet meditatione frustra nos angimus: cum nihil eorum in nostra sit manu: Imò cum incertum sit an ad vesperam vsq; simus superuicturi. Quod alibi quoque Flaccus. *Quis scit an adijciant hodiernæ crastina summæ Tempora Dij superi.*

Amara.) aduersa, acerba. Lucret. *medio de fonte leporum surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.* Ideoque huiusmodi temperie maxime opus est, si *εὐθυμίασ* studiosi sumus.

Temperet risu.) cum quadam *εὐγνωμοσύνη πρὸς ἅσδε φέρων, καὶ μετρίάζων ἐν ταῖσ ἐπιπραξίαισ, καὶ δυσυχίαισ,* ut Græcè diceremus. Id quod Democritus fecit. De hac æquanimitate vide Odam 3. lib. 2. cuius initium est, *Æquam memento rebus in arduis seruare mentem* &c.

Nihil est ab omni.) Ephiphonema. Idem Cicero primo de Inventionem dixit. *Nihil omni ex parte perfectum atq; beatum.* Item in Lælio. *Nec quicquam difficilius quam reperire quod sit omni ex parte in suo genere perfectum.* Cum prius quoque Simonides dixisset *οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνήρ εὐδαιμονεῖ.* Item Theogn. *οὐδεὶς γὰρ πάντ' ἔστι πανόλβιος.* Item alibi *ἀλλ' ἀλλῶ κακὸν ἔστι. τοδ' ἀτρεκεσ, ὀλβιος οὐδεὶσ ἀνθρώπων, ὀπόσσο ἠέλιος καθαροῦ.* Item *οὐδεὶσ ἀνθρώπων ἔστιν ἅπαντα σοφός.* Crates quoque dicebat. *ἀδωῶατον εἶναι ἀδιάπτωτον εὐρεῖν. ἀλλ' ὡσπερ ἐν ροίᾳ καὶ σαπρῖν τίνα κόκκον εἶναι.* Quocirca, ut idem Theognis, *καὶ δῶρ' ἀθανάτων, οἷα διδοῦσιν, ἔχειν.*

Abstulit cita mors Achill.) De Achillis natalibus & educatione recondita quædam habet Apollodorus libro

bro

ACHILLES

37

bro, de quibus nonnulla annotare non pigebit. Duxit, inquit, Peleus Thetim Nerei filiam, de cuius matrimonio Iupiter & Neptunus contendunt. At cum Themis ex hac ortum filium patre futurum esse praestantio- rem praedixisset: abstinuisse Iouem ab illius nuptiis ferunt. Sunt etiam qui memorent, Thetim Iunonis monitu persuasam, Iouis concubitum euitasse. Hinc iratum Iouem voluisse, ut ea mortalis viro coniugio locaretur. Peleus igitur eam in Pelio monte uxorem sibi copulauit: atque ibidem Dij conuiuio excepti, suo quisque munere matrimonium cohonestarunt. Nam Chiron hasta fraxinea Peleum, Neptunus equis Balio, & Xantho, Vulcanus ense ac reliqui, alijs muneribus donarunt. Hi vero Dij immortales fuerunt. Post ubi Thetis conceptum est Peleo partum edidit; cum immortalem fatura, clam Peleo per noctem in igne abscondit, & quidquid paterna in co- mortalitatis erat, excoquebat. per diem vero ambrosia puerum inungebat. At Peleus per observationem palpitantem natum in igne conspicatus, in- clamauit. Tum Thetis, quo minus votum expleret suum, impedita, reli- cto infantulo, ad Nereidas abiit. Tum Peleus sublatum manibus pue- rum ad Chironem tulit, quem illae acceptum leonum visceribus, aprorumque & ursorum medullis enutriuit: eumque cui Ligyron ante nomen fuit, quod mammis labra minimè admouisset, Achillem nominare voluit. Haec Apollodorus loco indicato. Dicitur igitur esset Achilles quasi Αχιλλῆος id est chili aut pabuli expers, siquidem χιλῶς graecis pabulum est. Non enim vsitato, sed extra ordinario quodam pabulo nutritus est Achilles: ante dicitur Ligyron, forte à vocis & cantus suauitate, in 9 quoque Iliad. celebrato. Clarum:) Toto orbe celebrem, non tantum quod Dea natus; verum etiam ob praeconeum Homerum, quo nomine cum Alexander quoque Magnus fortunatum praedicauit, cum in Sigæo eius tumulo adstitisset, ut est in oratione pro Archia. Catullo quoque est clara progenies Phthia. Cita mors) fuit enim Achilles ὀκυμωρώτατος ἄλλων. Quod Virg. quodammodo de Marcello, quoque suo commemorat ostendent terris hunc tantum fata nec ultra esse sinent. Et qui

Et quidem oraculo proditum erat, cum in expeditione Troiana periturum, Ideoq; mater Thetis scribitur non solum eum adultum, & sub puellari habitu latentem, in gynaeceo Lycomedis Regis Scyri occultasse: verum adhuc infantem aquis quoq; stygijs immeruisse, vt toto corpore fieret ἀτρέστον, seu inuulnerabilis: præterquam in ea parte pedis, qua manu eum immergens mater tenuerat, qua in parte postea ex insidijs à Paride lethaliter vulneratus, & in Sigæo promontorio Troadis sepultus est. Qua ipsa narratione innuere voluerunt, omnia, quæ contra mortem fatalem quærantur remedia, inania esse. qui plura de Achille desiderat, legat Statij Achilleida.

Tithonum) Laomedontis regis Troiani filium, cuius sic meminit Apollodorus lib. 3. Porro Tithonum, quod cum arderet Aurora, præreptum in Æthiopian abducit, ibiq; cum eo Emathionem & Memnonem genuit. Fit eius passim mentio apud Homerum & Virgilium. Et de eodem hæc habet Mimnermus,

Τιθωνῷ μὲν ἔδωκεν ἔχειν κακὸν ἄφθιτον ὁ Ζεὺς
 γήρας, ὃ καὶ θανάτῳ ῥίγιον ἀργαλέον.
 τὸ πρὶν ἔων κάλλιπτον, ἐπὶν παραμείψεται ὄρη,
 οὔτε πατὴρ πατρὶν τίμιον, οὔτε φίλον.

Miser enim ille τὸ γήρας, seu senectam solummodo, non etiam εὐγηνίαν, hoc est, bonam & commodam senectutem sibi ab Aurora sua petiuerat. In dialogis Luciani prouerbum est, ὑπὲρ τὸ τιθωνον ζῆν. de homine admodum μακροβίω. Hunc Tithonum, vt est in Catone Ciceronis Maiore Aristo Chius de Senectute differentem induxerat. Putant eius fabula significari, venatorem aut alium hominem, exercitijs corporis antelucanis sine intermissione deditum, qui eo modo extraordinariam quandam corporis firmitatem, cum μακροβιώτητι coniunctam, compa-

33
 comparari. Est enim, ut in Inscriptione quadam Neapolitanadicitur, Exercitium corporis vite humane conseruatio. Caloris naturalis lima. Excitatio dormientis. Naturæ virtutum corroboratio. Superfluitatum consumptio. Otio inimicum. Temporis lucrum. Iuuentutis debitum. Senectutis gaudium.

Minuit,) Macie & tabe conficit, usq; adeo, ut tandem in cicadam scribatur commutatus. Cicada enim sicuti rore pascitur, & sine modo vocalis est: ita senes quoq; pauci sunt cibi, & multi sermonis.

Et mihi forsitan.) Innuat, sicuti nemo πανόλβιος, seu omni ex parte beatus sit: ita etiam neminem omni ex parte infelicem aut πανάθλιον esse. quod etiam Euripides in Antiopa dixit.

Τοῖος δὲ θνητῶν τῶν πελαπόρων βίος,
 οὐδ' εὐτυχεῖ τὸ πάμπαν, οὔτε δυσυχεῖ.
 εὐδαμον εἶπε, κ' αὖθις οὐκ εὐδαμονεῖ.

Porriget hora.) quid sint horæ anni & dici notum est. Cum autem hoc nominis Deæ quoq; venustatis & maturitatis tribuatur; suspicari aliquis possit poëtam his verbis innuere; Fieri posse, ut, ubi ὥρα seu maturitas eius rei aduenerit, sibi quoq; aliquid boni diuinitus affluat, quod Grospho Pompeio non affluxerit.

Te greges centum.) numerus finitus pro infinito, ut alicubi Virg. Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Dixit autem Te circum, pro circum te. Et greges centum nominans, simul pascuorum & latifundiorum amplitudinem indicat, quam tot greges pascendi requirunt.

Mugiunt: hinnitum.) Innuat se voces audire longè iucundiores, Musarum scilicet & Lyrae suæ, quam sint boum mugitus, & equorum hinnitus. E Vac-

Vaccæ Siculæ.) *κατ' ἐξοχήν*, quasi nos diceremus vac-
cas Hollandicas aut Frisiacas. Talis enim erat Sicilia vi-
cina, populi Romani horreum.

Tollit hinnitum.) pro hinnit.

Equa quadrigis apta) pro generosissima & velocissi-
ma, quales aurigationes illæ Circenses requirebant.

Murice.) Murex piscis marinus est ex concharum gene-
re, à purpura diuersus, è quo ipso tamen etiam color pur-
pureus conficiebatur. vnde & pro purpura hic & alibi acci-
pitur per synecdochen.

Afro) τὸ εἶδος ὀνόματι τοῦ γυνικοῦ. In Epistol. dicit. *Vestes Getu-
lo murice tinctæ.* pro quo alij Baiano, Sidonio. Ouid. *Phocæico
bibulas tingebat murice lanas.* Vid. Plin. lib. 9. c. 36.

Bis tinctæ) purpuram indicat dibapham, de qua et-
iam Tibullus dixit *Vellera det succis bis madefacta Tyros.* Innu-
ere autē vult hac bonorum Grosphi & suorum enumera-
tione, eum habere τὰ περισσὰ, se vero τὰ ἀναγκαῖα q. d. etiam si
tu habeas greges ouium, equorum & vaccarum complures;
tamen non plus inde fructus percipis, quam ego ex meo v-
nico grege. Tu nobilissima purpura vestiris, quæ tuo tamen
corpori non plus confert utilitatis, quam mihi mea toga
pura.

Mibi parua rura) non tot gregum & equorum ca-
pacita, è quibus tamen habere possum oliuas, cichorea, mal-
uas &c. vt in fine Odæ 31. lib. I canit. Qualia autem, &
quanta fuerint hæc in Sabinis parua rura Horatij, patet ex
eiusdem Epistola XIV. In cuius initio, villicum suum
his verbis compellat.

Villice

35

*Villice sylvarum & mihi me reddentis agelli
 Quem tu fastidis habitatum quinq; focis, &
 Quinq; bonos solitum Bariam dimittere patres.*
 Ex quibus ipsis verbis liquet, quare alibi dixerit, *Contentus
 unicus Sabinis.*

Spiritum Graiæ Idē pluribus verbis dixit ode 6. lib. 4.

Spiritum Phœbus mihi Phœbus artem

Carminis, nomenq; dedit poëta.

Item paulo post Od. 18. huius libri, ubi eodem modo sua
 bona cum aliorum bonis conferens, dicit.

At fides, & ingeni

Benigna vena est &c.

Intelligit

enim hic sub spiritu venam poëticam, idoneam quæ car-
 mina Græca Latinis eleganter exprimat, ad quod ipsum re-
 quiritur eruditio & exercitatio singularis.

Tenuem exilē. nam de seipso loquentē decet modestia.

Camenæ Musæ, quæ ut Festus ait, à carminibus sic dictæ
 sunt, vel quod canunt antiquorū laudes: vel quod sint castæ mentis præsides.

Parca. Apollodorus lib. 1. inquit Iouem ex Themide Cœli filia
 genuisse Horas Irenen, Eunomian, Dicen. Nec non Parcas, Clotho, Lache-
 sin Atropon. alij Erebi & Noctis filias fecere. Apud Pausaniam i-
 pse Iupiter vocatur alicubi *μοιραγέτης*, sicuti Hercules *μυ-
 σωγέτης*. Putabantur autem Parcæ Deæ esse fatales, hu-
 manæ vitæ fila seu momenta disponentes. Sic dictæ vel
 à partu, ut Varroni placuit, quod nascentibus bona & ma-
 la conferre crederentur. Alij *παρ* à *παρ* à parcendo
 dictas volunt, quod nemini parcant. Apuleius ternarium
 Parcarum numerum à triplici tempore ductum putat.
 Nam quod in fuso perfectum est, speciem habet temporis

iam elapsi. quod adhuc digitis torquetur & formatur; id tempus indicat praesens. quod nondum ex colo detractum est; tempus futurum repraesentat. Vna igitur Parcarum, puta Lachesis, colum hunc fatalem fingitur gestare. altera, fortè Clotho, nendo filum vitae humanae producere. tertia fortè Atropos, incidere filum illud, hoc est vitam, ubi terminus fatalis aduenit, abrumpere.

Parca non mendax.) Vtpote quæ non φαινομένοις sed veris bonis me ornauerit. Quando interim tua bona tantum sunt adumbrata, & sæpè etiam mendacia. Sæpe enim spes mentitur & seges, & vinea, & res pecuaria. & in vniuersum nihil istis bonis corporeis fugacius, nihil est inanius. His autem animæ bonis verè etiam accommodari potest illud, quod de virtute diuinitus dixit Plato πᾶς ὁ, τ' ἐπὶ γῆς καὶ ὑπὸ γῆσ χερσὸς ἀρετῆς οὐκ ἀντάξιός. Parca autem credebantur suam cuiq; nascenti vel fortunam vel infortunium destinare, & quali fato quodam attribuere. Qua ipsa de re Adrianus Turneb. Aduerlib. 10. c. 22. hæc habet. Illud eiusdem cantici pendet etiam è veteri ritu. Parca non mendax dedit &c. Nam vltima hebdomadis die, qua quis in lucem editus erat, fata vocabantur, quæ scriberentur, quod eo die Parca viderentur in totam statuere vitam, qua fortuna futurus quis esset. Tertullianus. Dum per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur; dum vltima die fata scribenda aduocantur. Hinc illud Maron. Ec. 4. Talia fata suis dixerunt currite fustis. Vide eiusdem, lib. 18. c. 34. 1.

Malignum vulgus.) κακῶθές, καὶ σκολιόν, bonis inuidum: aut etiam sua bona inuidè & malignè conferens.

Spernere.) q. d. A Parca diuinitus hoc habeo, vt neq; magnificere neq; concupiscere soleam, quæ vulgus admiratur.

tur: sed id vniuersum cum suis omnibus contemnere. cum videlicet sim ἀφιλότιμος ἢ ἀφιλάργυρος. Huc illud Cleanthis his verbis expressum.

Si cordi est verum, placitis ne ducere vulgi.

Rara fere in vulgo sapiens, bona, sobria mens est,

Iusta q̄. Rari autem laus hac quīs conuenit. Ergo

Turba hominum quo stulta vocat properare caueto.

Nec non hoc Ciceronis. Vulgus ex opinione multa, ex veritate pauca aestimat. Significat quoq; non obsurè, se eodem cū Platone modo affectum esse, qui dicere est solitus, se in Philosophia ita confirmatum esse, vt eius contemptores animo magno & constanti iterū possit despiciere & contemnere. Nec alienum ab hoc loco est insigne illud Cornelio Gallo tributum.

Pauperiem modico contentus semper amavi,

Et rerum dominus nil cupiendo fui.

Hæc de animi tranquillitate more philosophico & poetico dicta sufficiant. Quæ qui magis integra desiderant, legant aureolum illum Plutarchi libellum *περὶ εὐθυμίας*. Quod si etiam quis more Christiano hanc doctrinam piè & solidè intelligere desiderat; legat is, & rectè intelligere studeat Ecclesiasten Salomonis; nec non VII optimos & accuratissimos Ioannis Spinæi de Animi Tranquillitate libros. In quibus omnia ferè huc pertinentia, ex sacris & profanis auctorib. hinc inde in vnum quasi florum fasciculum collecta continentur. Quæ hic inculcare, non est huius loci, neq; mei officij.

Postquam igitur verba & sententiã huius insignis cantici iam intelligimus; reliquum est vt videamus, quomodo & prosa, & numerosa oratione eam imitando, ipsi

PARAPHRASIS

quoque utile & eruditum ingenii & stili exercitium inde petere possimus. Id quod in hunc modum prosa oratione non incommodè institui videtur posse.

Mercator aliquis ô Pompei Grosphæ, cœlo nubilo, nocte illuni, saeva tempestate orta, in mari deprehensus, seipsum, & tanto cum periculo nauigandi institutum suum extremè condemnat: deosque precatur, ut sibi ex presentibus angustiis liberato, feliciorē bene & quietè viuendi conditionem concedant. Idem faciunt in prælio sanguinolento milites & sagittarij: idem alij. denique nemo est, qui non, in discrimine aliquo grauiori constitutus, pleno ore quietem, otium, & bene ac commodè viuendi rationem prædicet & dilaudet. Quæ tamen ipsa neque gemmis, neque purpura, neque auro, nullis denique honoribus aut diuitiis, quantumuis magnis, comparari potest. Etiam si enim aliquis opes, & thesauros vel regios, quibus omnia venalia sunt, possideat; tamen ijs animum suum, qui cupiditate bona sua in futurum augendi; aut metu ea quæ in presentia habet amittendi perpetuò excrucietur, non poterit tranquillare. Eodem modo etiam si Consulem Romanum, aut alium quemcunque regem aut principem in publicum procedentem præcedant lictores fascibus & securibus aut etiã sceptris & hastis, formidabiles; ijsque turbam obstantem submoueant; tamen curas, perturbationes, metus, & alios affectus in corde & animo ipsius principis miserè tumultuantes arcere & depellere inde non potest. Qui ipse domum regressus, etiam si amplissimas arces & palatia, sæpe etiam tormentis bellicis ad arcendos & repellendos hostes comparatis, probè munita inhabitet; tamen curas & sollicitudines, muscarum aut hirundinum instar palatia illa laqueata assiduè & certatim circumuolitantes, arcere & depellere nullo modo potest. At quanto tranquillius, commodius, & melius

melius quoque ij viuunt? qui tenuitate & possessiunculis
 suis a parentibus plerumque acceptis, ita tamen ut ea cum
 mundicie coniunctae sint, probe contenti sunt; ijsque hilariter
 fruuntur: & noctes minime ducunt infomes, id quod
 homines ambitiosos, & fordidè auaros facere necesse est:
 quibus timor anxius, & insatiabilis pecuniae cupiditas, leui
 aliquo susurro aut strepitu oborto, somnum quam citissi-
 me abrupit. Quid autem in tam angustiis finibus cir-
 cumscriptae & ærumnosae huius vitae breuitate opus est, ut
 desideria & cupiditates opum & honorum usque adeo in infi-
 nitam extendamus? quænam nobis peregrinationes & nauiga-
 tiones tam longinquas suscipiendi incumbit necessitas?
 Quando cum opibus & honoribus crescentibus ipsa quoque
 eorundem crescit & augetur cupiditas. Quo enim plus sunt
 auctae, plus sitiuntur opes. Praeterea peregrinationibus lon-
 ginqus caelum non animus vitiosus mutatur, quem quis,
 nolens volens, secum cogitur circumferre; quemque adeo
 effugere non potest; etiamsi vel voluntario exilio sibi im-
 perato, in dissitissimas quasque orbis regiones nauigans aut
 equitans aufugiat. Quamuis enim rostra nauium ære munita,
 earumque latera & statumina tormentis bellicis probe instru-
 cta sint; tamen ea ipsa prohibere non possunt, quin curae & so-
 licitudines vectorum una cum ijs nauim conscendant: eorumque
 animos sine intermissione excrucient. Etiamsi turmae e-
 questres, & armis & velocitate plurimum valeant; tamen im-
 pedire non possunt, quo minus curae & angores sui ipsis e-
 quitibus perpetuo adsint, eorumque animis anxius & sollicitis
 haereant infixi. Tanta enim eorum est agilitas, tanta velocitas,
 ut ceruorum quoque & ventorum hac in parte celeritati
 minime cedere videantur. Rectissimum igitur fuerit
 in reb.

PARAPHRASIS

40

in reb. secundis praesentia si sint bona, ea animo aequo boni
 consulere; in aduersis autem damna & incommoda quanta-
 cunq; sint, iucunditate & hilaritate quapiam temperare; &
 ante omnia sollicitudinem de futuris plane ex animo eijce-
 re, eaq; numini aeterno gubernanda commendare. Ea cer-
 te est rerum humanarum ratio, vt nihil in ijs omni-
 ex parte beatum, aut etiam omni ex parte infe-
 lix inueniri possit: cum ij quocq; qui felicissimi vul-
 go censentur, suas quasdam, & sibi solis notas habeant
 & sentiant difficultates; sicuti & ij qui alijs infelicissimi vi-
 dentur, sua quoq; habent leuamenta & recreationes, qui-
 bus alij plane destituuntur. Achilli, praeconio Homeri in-
 terueniente, praec alijs mortalibus omnibus, singularis quae-
 dam nominis celebritas, & famae contigit immortalitas.
 Sed interim tamen eidem in flore aetatis quam citissime
 fuit moriendum. Tithono contigit vita maxime longaua;
 sed ea tamen maciei & tibi alijsq; adeo morbis, senectu-
 tem, quae & ipsa morbus est, fere infestantibus obnoxia. Ita
 etiam fieri potest, vt mihi aliquid diuinitus. o Grophe da-
 tum sit; quod non sit datum tibi. Tibi a Deo contigerunt
 maximae diuitiae, amplissima pascua & latifundia, pecu-
 dum & iumentorum innumeri greges. quibus accedit
 vestium preciosarum splendor. Ex aduerso ab eodem
 Deo, verorum non adumbratorum bonorum largitore mi-
 hi obtigerunt, Rus exiguum, sed tamen, secundum natu-
 ram, quae paucis contenta est, viuenti, in alimenta quoti-
 diana mihi sufficiens. Quibus accessit mediocre ingenium,
 & huiuscemodi Graecarum litterarum scientia; vt Lyricos
 quoq; Graecos latino carmine non insuauiter representa-
 re; & praeterea vt vulgus malignum, falsisq; bonis addictum,
 & praec ijs bona animi & ingenij extreme contem-
 nens

PARAPHRASIS

nens, iterum ex alto possim despiciere & contemnere

IAM OPERA EPICUM FVERIT

Sapphicum huius Odæ carmen etiam in heroicum hexametrum, hoc vel simili modo, commutare.

Prensus in Ægeo patulo rogat otia diuos
 Mercator, simul ac nigra Lunam nubila condunt,
 Nec sat certa micant trepidanti sidera nautæ.
 Ocia Marte furens Thrace rogat, ocia Medi
 Insignes pharetra, non gemmis Grophe nec ostro
 Ocia, nec lamnis venalia diuitis auri.
 Non etenim gaze, non liclor consulis unâ
 Cum turba miseros animi mentisq; tumultus
 Submouet, & curas circum laqueata volantes
 Atria magnatum, & sublimes Casaris arces.
 Viuitur exiguo benè, si sine lite paternum
 Emicet in mensa tenui mundaq; salinum,
 Nec dulcem impediunt timor atq; cupido soporem
 Sordidus, & quauis quarens ex merce lucellum.
 Exiguo fortes jaculamur multa quid auro?
 Quid terras alio mutamus sole calentes?
 Quis patriam fugiens semet simul effugit ipsum?
 Cum vectore subit celsas mala cura triremes,
 Nec turmas equitum linquit, peditumue catervas,
 Vel cervis ipsis, violentoq; ocyor Euro,

F

Quando

47



PARAPHRASIS

42

Quando agitat nimbos, & cœli nubila difflat.
 In presens animus letus curare quod ultra est.
 Oderit, & risu placito tranquillus amara
 Temperet. ex omni nihil est quia parte beatum.
 Pre cunctis clarum cita mors ingulavit Achillem.
 Tithonum extenuans minuit longaeva senectus.
 Et tibi forte, mihi quod porriget hora, negarit.
 Te circum centumq; greges, Siculaq; vagantur
 Vacca mugitum edentes. quibus apta quadrigis
 Addit equa hinnitum. tibi Afro bis murice tincte.
 Dant vestes lanae. mihi parvula rura, laremq;
 Exiguum; & Graia Genium venamq; camœnae
 Non mendax Lachesis dedit, & contemnere vulgus
 Obstreperum, falsiq; tenax, prauum atq; malignum.

LECTORI BENEVOLO. S.

NE sequentes pagellæ vacuæ tibi obtruderentur, placuit hisce, aliud eiusdem generis & auctoris stili exercitium subiungere, ad cuius imitationem alia quoq; studiosi adolescentes conformare assuescerent. Id quod nemini bono speramus esse posse ingratum. Bene Vale.

PARA

PARAPHRASIS ODAE PRIMAE
libri primi Carm. Horatij.

43

Cum vitam mortalium accuratius intropicio Mæce-
nas generosissime, & patrone, cum propter autorita-
tem, tum etiam propter multiplicia, quæ per te mihi admo-
dum honorifica contigerunt, ornamenta, præ omnibus ob-
seruande; magnam profectò iudiciorum desideriorumq̃
reperio diuersitatem. Video enim quosdam esse, qui decur-
sionibus & certaminibus curulibus vsq̃ adeò capiantur; ve
puluerulenta illa equorum & quadrigarum in circo nostro
incitatio & agitatio, olympicorum etiam certaminum pul-
ueribus non inferior, ita eos iuuet ut si rapidissimo currum
inflexu modiolus rotæ metam ferè stringens, in eam non
impingat (quod præcipuè in eo decursu artis esse nosti)
summum se bonum consecutos arbitrentur. Victoria enim
nobile illud laboris condimentum, ita dulcis est, ut si eam
ciues Romani terrarum iam antea domini, consequantur;
deorum quoq̃ cœlestium vitam se iam adeptos esse sibi
persuadeant. Alij tum demum se fortunatos iudicant, si
theatra ingredientes, multitudinis vanæ & inconstantis ap-
plausu, certatim subinde geminato, excipiantur. Rusticus
aliquis diues & auarus, si granarium magna frumenti vi
& copia repletum possideat; eo vsq̃ abundantia illa
delectatur; ut quamuis non iumentis, sed sarculo,
quod multo est laboriosius, arare cogatur; tamen ne maxi-
ma quidem spe opum etiam regiarum proposita, à consue-
to illo vitæ genere deduci possit: multo minus persuaderi,
ut antea terra colenda occupatus, ea relicta, rei deinceps
nauticæ incumbat. Sic qui negotiationi assuevit mercator, si
quando tempestate vtatur minus commoda; venti q̃ & flu-
ctus ve-

PARAPRASIS

44

etus vehementiores naufragij metum incutiant; tum pro-
 mari inquieto & turbido vitam ociosam, pro ventis incertis
 terram stabilem laudat: non rarò etiam sanctissimè affir-
 mat, si semel è periculo tam præsentis liberetur, se nunquam
 deinceps ingressurum mare. Ecce autem vix eluctatus,
 quam primum terram contigit, adeò iterum lucri cupidus
 est; adeò persuaderi non potest, vt mediocribus opibus, in
 quibus tamen summa quies & felicitas est, sit contentus; vt
 etiam denuò navigationes non minus periculosas institu-
 at. Non enim ut tutior sit, nouum & firmum extruit
 nauigium; sed laceram illam, & ex priori iactatione rimis
 adhuc fatiscentem, & in qua mortis adhuc expressa appa-
 rent vestigia, reficit, quasi præ lucro nullam prorsus vitæ suæ
 rationem sibi habendam esse animum induxerit. Ab hoc
 verò instituto alios quospiam reperias prorsus alienos, qui
 maximam felicitatis suæ partem, in vino veteri & genero-
 so positam existimantes: relictis rebus, diem, quem alij to-
 tum laboribus necessarijs impendunt, magna ex parte Ge-
 nio tribuentes, epulis insititijs frangant: & nunc vel sub
 opacis arborum vmbrijs, vel ad amœnas fontium & flumi-
 num scaturigines liberè agitent conuiuia: aliorumq; labori-
 bus parta hilariter absumant. Multi vsq; adeò re milita-
 ri, & lituorum tubarumq; sonitu permixto delectantur, vt
 prælia, quæ matres, quod in ijs non rarò charissimis or-
 bentur filijs, vnicè exsecrantur, ipsi etiam summis laudi-
 bus euehant: & à suo illo militandi proposito nullis suo-
 rum familiarium precibus aut lachrymis abduci se patian-
 tur. Sicuti neq; ij, quorum animus in studio venandi
 occupatus est, à suo illo instituto retrahi se sinunt. Illis e-
 nim cum domi amplexu coniugis iuuenulæ frui tutò lice-
 at, in strato molliculo, tamen sub dio in niuibus pernoctare
 malunt.

malunt

PARAPHRASIS

45

malunt: magisq; canum latratu, ceruorum cursibus & a-
 prorum immanitate, quam commoditatibus domesticis,
 vxorisq; teneræ blanditijs & suauijs delectantur. Ego
 autem omnibus ijs, in quibus illi felicitatem suam positam
 esse somniant, neglectis, inter superos me esse existimem,
 si in doctissimorum virorum, in primisq; poëtarum nume-
 rum receptus, eodem quo illi honore afficiar: & voluptati-
 bus liberalibus, stultæq; plebeculæ ignotis, iucundè perfru-
 ar. Longè interim à vulgi strepitu & consortio remo-
 tus; lyræq; suauitate, & carminis gratiosi elegantia multos
 celebrans & oblectans: venæq; perennis vbertate, Musa-
 rumq;, quibus hæc omnia accepta refero, fauore, numquam
 destitutus. Quod si tuo etiam Mæcenæ iudicio, ea mi-
 hi gloria contingat, vt, cum poëtarum genera complura sint,
 ego Lyricorum potissimum ordini adscribar; tum profe-
 cto vtorum meorum finem, omniaq; summa con-
 secutum, atq; adeò in ipso me cœlo esse
 existimabo.

EIVSDEM PARAPHRASIS
 POETICA.

Optime Mæcenæ atavis sate regibus, ô
 Dulce decus columenq; meum. sua quando voluptas
 Quemq; trahit; sunt quos ita puluis olympicus acris
 Decursu iuuat in nebulam collectus, & a dens
 Si rapido inflexu metam euitauerit axis
 Contiguam stringens; hæc vt victoria prorsus
 Inclita terrarum dominos rerumq; potente

F 3

Imperio



PARAPHRASIS

46

Imperio insignes, Dijs iam cœlestibus æquet.
 Hunc populi applausus certatim iteratus hiantem
 Per cuneos facit attonitum. Sibi per placet alter
 Sitantum proprio frumenti condidit horreo,
 Et Libycis quantum aut Siculis corraditur aruis.
 Gaudentem patrias rastris invertere glebas,
 Attalicis illi vel conditionibus ultro
 Propositis, non dimoveas, ut rure relicto
 Navigio se committat, timidusq; procellæ
 Myrtorum mare nauta secet. mercator in æstu
 Aequoris Icarij luctantes fluctibus Euros
 Horrescens, vitæq; timens, mirè otia & urbis
 Laudat rura suæ, ut rabidis potiora procellis.
 Sed simul ac portum vix attigit, immemor iræ
 Fallacis pelagi, laceras, rimisq; patentes
 Instaurat reficitq; rates, rediturus easdem,
 Equibus exanimis vix pridem enarat, in undas,
 Pauperiem usq; ad eò indocilis perferre beatam.
 Sunt qui nec veteris spumantia pocula Bacchi,
 Deq; die solida spernant sibi demere partem
 Impendendam epulis, strati nunc membra sub ulmo
 Aut platano viridi, nunc ad sacri caput amnis.
 Multos castra iuvant, lituiq; admista tubarum

Murmura

PARAPHRASIS

47
 Murrura clangori, tantum ut qua praelia matres
 Blanda exsecrantur divis; ea laudibus ipsi
 In caelum extollant, turba alma prodiga vita.
 Sub Iove pernoctat rigidus venator aquoso,
 Uxoris tenera velut immemor. utpote cuius
 Delicijs cervas & Marsos praeferat apros:
 Latrantis ut canis fidei nodis q̄ plagarum
 Sub tecto in thalamis licitos postponat amores.
 Me vero doctorum hedera celebrata virorum
 Praemia Dijs miscent superis: me dulcibus umbris
 Frigidulum nemus, & Satyrorum in rure beato
 Cum nymphis chorea, & paucis percepta voluptas
 Secernunt populo. modo ne mihi tibia desit
 Euterpes rosea: nec culta Polymnia vatis
 Tendere Lesboi mihi barbiton ipsa recuset.
 Quod si me Lyricis quoq̄ vaticibus inserere ausis;
 Sublimi verò tum vertice sidera tangam.

CICERO

Cogitanti multa sunt facilia, experi-
 enti autem nihil minus.

FINIS.




48

Hic est Ciceronis de officiis liber primus
 In quo tractatur de iustitia et de officio
 in genere et de officio in particularibus
 scilicet de officio patrisfamilias
 de officio magistratus et de officio
 militis. Hic tractatur de officio
 in genere et de officio in particularibus
 scilicet de officio patrisfamilias
 de officio magistratus et de officio
 militis.

CICERO

Cogitant multa sunt facilia expedit
 etiam animi nihil minus.

FINIS



Ge 133

ULB Halle 3
002 178 605




Sb.

[Handwritten signature]

[Handwritten mark]





DE PHILOSOPHO
TRANQUILIANO

HORATI
LIBRI SEPTIMI

XV

Prælectio

NATHANIEL

habita in Acad.



ROSTOCK
Typis Stephani
cl. I.

28.



22
28.1
29

